IOSEPHI CASTALIONIS I. C.

DE FRIGIDO ET CALIDO POTV Apologeticus

In quo Senecae, Tranquilli, Plauti, & Martialis loca aliter atq. a Lipsio accepta sunt, explicantur. Item Horatij, Vergilij, Athenei, Platonis & Aristotelis aduersus Pierum Cassianum.

Ad Illustrissimum & Reuerendiss. Dominum

D. ROBERTVM BELARMINIVM

S. R. E. CARDINALEM

SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE, Apud Gulielmum Facciottum. M. DC. VII.

D. D. Hieronymo B...

Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino

D. ROBERTO BELARMINIO S. R. E. CARDINALI

Iosephus Castalio S. P. D.



TVDIORVM meorum ratio ea fere semper fuit, vt inter lucubrandum adnotarem, si quid a recentioribus perperam acceptū, commissumue esset. Neque tamen doctissimis viris, si quando oscitantes hallucinati sunt, quidquam detractum volui. Anno proximo superiore Obseruationes in Criticos meas, quibus supremam manū imposueram, imprimendas in Vrbe curaui. quae subinde Lugduni elegantioribus typis iterum sunt excusae. Aduersus eas nescio quis Pierus Cassianus maleuolentissimis obtrectationibus respersam epistolam diuulgauit, quod plura fortasse, quam voluisset, ad frigidi potus consuetudinem confirmandam congessissem. Hominem, opinor, vrebat. quod errata quaedam indicauerim, & calidi potus opinionem exagitauerim. Quare faciendum mihi duxi, vt a calumnijs scripta mea vindicarem, et tota de re accuratius differerem, moremq. frigidi potus vetustissimum

ad nostra usq. tempora deductum Platonis, Aristotelis, Themistij, Senecae, Hippocratis & Galeni, recentiorumq. medicorum sententia, Poetarum etiam, Historicorumq. testimonijs sartum, tectum conseruarem. Controuersiae Arbitrum, Iudicemq. Te Roberte Bellarmini Cardinalis amplissime, quam possum maxime opto. Nam Te disceptatore causam intrepide agam. quod Philosophiae perinde, ac Theologiae Princeps, totiusq. antiquitatis peritissimus hoc nostro saeculo existimeris. quidquid statueris, decideris ue, aequum id esse libenti animo ducam, ratumq. habebo. Te igitur oro, atq. obsecro, obtestorq. vt libellum hunc Apologeticum meum libenter suscipias, rem cognoscas, litem dirimas, meque qua es benignitate, atq. auctoritate tueare. Vale S.R.E. praesidium, & decus.

IOSEPHI CASTALIONIS I. C.
APOLOGETICVS

In quo Tranquilli, Senecae, Plauti, & Martialis loca aliter atq. a Lipsio accepta sunt explicantur.
Item Horatij & Vergilij, & multa de Potu frigido calidoq. disputantur.

Aduersus Pierum Cassianum.



ONO post Obseruationum mearum Primae Decadis editionem mense, oblata est mihi epistola Antonio Facchinetto Abbati V.C. inscripta, maledictis, & erroribus referta, cuius sexcenta exempla Bononiae excudenda, atq edenda commentitio Pieri Cassiani nomine auctor libelli de Calido Potu in contumeliam meam curauit. Et quamquam par pari referre non est consilium, tamen nonnulla quae in me scripsit, libere refellam, si prius eius in me odij causam aperuero. Superioribus annis libello de calido potu edito persuasum omnibus volebat, quod sibi persuaserat, aquam scilicet feruentem vino admixtam potare quam suauissimum, & quam saluberrimum, & quam vetustissimum esse. neq. animaduertebat plerisq;. se derisui, & ludibrio esse. Vehementer autem irascebatur ei, qui aliter sentire videretur. Quamobrē in me debacchatus est, quod suspicaretur, caput nonum obseruationum mearum de gelido potu aduersus sententiam suam conscriptum fuisse, eaq. de causa egit vehementer, vt liber meus recens impressus supprimeretur, quod cum minus homini successisset, ad criminationes cōfugit, quas ei libenter condono. Obseruationes quidem meas, vt par est, tuebor, & quæ iratius repræhēdit, sedatius diluam. Primum igitur Suetonij locum, quem perperam a Lipsio acceptum dixeram, grauissimis auctoribus confirmabo, vinosos mero calere solitos, quod suapte natura calor vino insitus sit, ob idq. Ti. Claudium Biberium Caldium ioco vocatum esse, quod ille inficians, ad aquam calidam rettulit. Liuius libro primo de Tarquiniorum compotantium certamine super vxorum suarum pudicitia, & in viros amore, *incaluerant, inquit, vino*. Audin Liuium dicere iuuenes vino incaluisse, at qui vino incalescunt. sequitur, vt & calidi sint,

ſint, licet aqua calida minus vtantur. Ouidius libro Faſtorum ſecundo extremo de eadem re.

Quiſque ſuam laudat, ſtudiȳs certamina creſcunt,
Et feruet multo linguaq. corque mero.

idem libro Faſtorum tertio de Annae Perennae feſto

Sole tamen, vinoq. calent, annoſq. precantur,
Quot ſumunt Cyathos, ad numerumq. bibunt.

Horatius Ode xxj. libro tertio

Narratur & Priſci Catonis
Saepe mero caluiſſe virtus

caluiſſe Catonem mero teſtatur Horatius, cum igitur caldum vocare poſſis, mero inquit caluiſſe. non igitur aqua calida ſuper infuſa. Et Epodo xj. ad Pectium

Simul calentis inuerecundus Deus
Feruidiore mero arcana promorat loco.

Silius lib. xj. de Capuanorum conuiuio

.... Bacchiq. ex more liquorem
Irrorat menſis turba, ardeſcitq. Lyaeo.

Ouidius de Arte

Et Venus in vinis ignis in igne fuit.

quod a Platone accepiſſe. Ouidius videtur. Sic enim ille libro de legibus ſecundo.

ἆρ᾽ οὐ νομοθετήσομεν, πρῶτον μὲν τοὺς παῖδας μέχρις ἐτῶν ὀκτωκαίδεκα τὸ παράπαν οἴνου μὴ γεύεσθαι διδάσκοντες ὡς οὐ χρὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ ὀχετεύειν εἴς τε τὸ σῶμα, καὶ τὴν ψυχὴν πρὶν ἐπὶ τοὺς πόνους ἐγχειρεῖν πορεύεσθαι. ideſt

Non ne legem feremus? primum quidem ne pueri ad decimum octauum vſq. annum omnino vinum guſtent. Nempe eos monebimus haud quaquam oportere ignem igni, & in corpus, & in animam infundere, & quaſi deducere, donec ad conſtantem aetatem prouecti pares ſint laboribus ferendis. Quid plura? hoc qui negat, meridiem quoque lucere neget. Nihil autem ineptius comminiſci quis poſſit, ſi, quae ex Liuio, Horatio, & Ouidio de vini calore petita cōtulimus, ea ad ignis, quo calefieri vinum apud veteres ſolitum eſſe nullis auctoribus contendat, temere vim referat. Quid vero alienius a Suetonij mente Lipſij commento? Suetonius in Tiberio ſic. *In caſtris tiro etiam tum propter nimiam vini auiditatem pro Tiberio Biberius, pro Claudio Caldius, pro Nerone, Mero, vocabatur.* Lipſius autem Electorum lib. 1. capite quarto ſic. *Nec ab alia cauſa agnominatio illa Tiberȳ Imperatoris Biberius caldius Mero. caldius videlicet a frequenti calidae potu.* Calidam aquam, non calidum, aut calefactum vinum

vinum, vt Caſſianus non recte atteſtatur, ſcripſit Lipſius. Dixi Suetonij ſententiam non aſſecutum eſſe Lipſium,& vere dixi. quorſum enim pertinent Suetonij verba illa, *ob vini nimiam auiditatem?* quorſum Sexti Aurelij Victoris in eodem Tiberio verba? *eleganter, inquit, a iocularibus Biberius Caldius Mero ob vinolentiam nominatus eſt*. Neq. tergiuerſari per Plinium licet, qui lib. xiv. capite vltimo de vitanda ebrietate, *ſed, inquit, ipſa iuuenta ad merum pronior fuerat*, loquitur de Tiberio Imperatore, & cum Suetonio mire conuenit. *ipſa iuuenta. In caſtris Tiro etiam tum.* Non igitur Caldius vocatus eſt, quod alia aetate calidum biberet, vt cauillatur Caſſianus. *Ad merum pronior fuerat.* Non igitur calidam miſcuit, *propter nimiam vini auidiatem vocatus eſt Biberius Caldius Mero.* Non igitur propter aquam calidam, vt Lipſius putabat. aut propter vinum calefactum, vt ſomniauit Caſſianus.qui tamen in Indice libri de potu calido Italice conſcripti. *Tiberium,quod ei aqua calida placeret,Biberium Caldium Meronem appellatum ſcripſit.*hominem errati ſuppudet indicati. hinc illae lachrimae. hoc Caſſiano dolet. mero incaleſcebat Tiberius. aquam neque calidam,neque frigidam vino miſceri ſibi patiebatur, quod eſſet vini meri auidiſſimus. quam omnino reſpuebat, vt Catullus, qui hendecaſyllabis ad puerum ſuum pocillatorem aquam abominabatur

At vos quo libet hinc abite lymphae:
*Vini pernicies,& ad ſeueros, Migrate.*hic merus eſt Thyonianus. Dixi praeterea aquam tepidiorem eſſe apud Senecam, quae rigorem, friguſq. remiſerit. idq. docui ex ipſius Senecae Quaeſtionum Naturalium libro quarto extremo, *Videbis, inquit, quoſdam graciles, & palliolo,focaliq. circumdatos pallentes aegros non ſorbere ſolum niuem, ſed etiam eſſe, & fruſta eius in ſcyphos ſuos deijcere, ne inter bibendi moram tepeſcant*. Huc accedat Martialis qui lib. 2. Epigr. 1. ſic.

Me conuiua leget mixto quincunce,ſed ante
Incipiat poſitus quam tepuiſſe calix.

quem etiam locum perperam accepit Lipſius, quippe qui tepeſcere ibi eſſe opinetur egelidum fieri remiſſo feruore, verius enim eſt ibi e frigido calidum fieri. Ouidius eodem ſenſu extulit de Ponto lib. 3. Eleg. 4.

Illa bibit ſitiens lector, mea pocula plenus,
Illa recens pota eſt, noſtra tepebit aqua.

Contrarijs exornauit metaphoram ingenioſus Poeta. Aqua recens,quae ſcilicet e fonte,vel puteo recens ſit hauſta,tepidae opponitur,

tur, Plenus ſitienti. tepida hic, & in Seneca non quae calorem, ſed quae frigus exuerat, aeſtiuo aeri diutius expoſita. Nam qui ſitit, is plane frigidae cupiditate tenetur. Claudianus

Blandaq. largitur fruſtra ſitientibus aegris
Irriguus gelido pocula fonte ſopor

Lucretius libro quarto de dormiente ſitibundo

Vt bibere in ſomnis ſitiens cum quaerit, & humor
Non datur, ardorem in membris qui ſtinguere poſſit.
Sed laticum ſimulacra petit, fruſtraq. laborat,
In medioq. ſitit torrenti flumine potans.

ſed & vigilanti, & ex venationis labore ſitienti Narciſſo Ouidius fontem frigidum oblatum libro Metamorphoſeos tertio narrat.

Fons erat illimis nitidis argenteus vndis,
Quem neq. Paſtores, neq. paſtae in monte capellae
Contigerant, aliudue Pecus, quem nulla volucris,
Nec fera turbarat, nec lapſus ab arbore ramus.
Gramen erat circa, quod proximus humor alebat.
Siluaq. ſole locum paſſura tepeſcere nullo.
Hic puer & ſtudio venandi laſſus, & aeſtu
Procubuit, faciemq. loci, fontemq. ſecutus.
Dumq. ſitim ſedare cupit, &c.

Vides tepeſcere hic quoq. eſſe caleſcere. Vides item poetam in deſcriptione algidi fontis plurimum ſtudii poſuiſſe, vt loci opacitate, herbarum viriditate, aquae nitidiſſimae frigiditate, itinere, atq. aeſtu feſſus adoleſcens allici facile poſſet. Expende quaeſo, verba omnia.

Siluaq. ſole locum paſſura tepeſcere nullo

Non igitur quiuis fons minus frigidus ſitienti ſatisfeciſſet. Nec te fugiat a poeta optimo naturam, mores, ſtudiũ, cupiditatẽ cuiuſq. diligenter exprimi ſolere. Cum igitur natura comparatum ſit, vt qui ſitit, aquam frigidiſſimã requirat, eiuſq. ſi ſit copia, tepidam, & calidam reſpuat, tepeſcere apud Senecam, Martialem, & Ouidium, non eſt frigeſcere, ſed caleſcere. quod non animaduertit Lipſius, neq. eius defenſor Caſſianus. Vitio quoq. mihi vertit, quod Maſinum Medicũ, non Criticum notauerim, cum obſeruationes meas in Criticos tantum inſcripſerim. Nodum in ſcirpo quærit. Maſinum perſtrinxi, ne ſupra crepidam. Medicum nimirum ignoratione temporum, & antiquitatis imperitia errare dixi, dum ea in re Criticum ſe, & Philologum venditaret. Inſimulat item inconſtantiae me, quod veritus ſim ne ſaeculi noſtri luxuriam gelido veterum potu in medium producendo,

cendo,

cendo, quem ſalubrem eſſe non negauerim, incitarem. Nam Caſſianus ita deducit quod ſalubre eſt, id & vtile eſt. vbi vtilitas, ibi nulla luxuria, aut ſi qua eſt, vtilitate defenditur, o virtutum, & vitiorum diſceptator accerrime, ſiccine agitur? defenditur ne vtilitate, quod minus honeſtum eſt? aut continuo ſequitur, vt quod vtile ſit, id & honeſtum dicas. Socios exuere, pacta non ſeruare, alterum decipere, fidem fallere, emolumenti, & commodi ſui cauſa vtile quidem cuiuis fuerit, ſed honeſtum nequaquam. Dixi gelidæ potum per calores aeſtiuos ſanis corporibus non eſſe inſalubrem, moremq́, & luxum antiquorum in niue & glacie ad id adhibenda religioſe recenſui. Nemini auctor eſſe volui, vt niuis officinas, & tabernas tanto impendio compararet. eaq. in re luxuriam ſum auerſatus, licet per aeſtatem, & iucundum, & minus noxium pleriſq. id eſſet. gelidae vſum laudaui, abuſum non probaui, cum ex fonte, puteoue, aut ſubterraneis cellis recens petita, & hauſta ſitienti ſatisfacere poſſit. Iniuſte item accuſat me, quod Horatij verſus minus ad rem facientes ex Ode xj. libro 2. produxerim.

.... quis puer ocius
Reſtinguet ardentis falerni
Pocula praetereunte lympha?

quem ego locum ita ſum interpretatus, miniſter ab Horatio quaeritur, qui frigidam ex fonte petitam vino auſtero miſceret, quo vini calor minueretur. Caſſianus autem, vt eſt rerum, quae ad manum ſunt, faſtidioſus, neſcio quid abſtruſius, ex eruditionis ſuae arca deprompſit, quod tamen ab Horatij mente alienum eſt. ardens enim non ad calorem vini, ſed ad colorem referri voluit. verum altercandi ſtud o toto errat caelo. quid quaeſo aqua niſi incendium reſtinguitur? Audi Porphirionem veterem Horatij interpretem, *ardentis, inquit, falerni, ardentis auſteriſſimi calorem corporibus, & animo concitantis. & bene reſtinguet praeiecit, quia ardentis erat ſubiecturus.* haec ille, quae interpretationi noſtrae mire fauet. Nam puer praeſto eſse conuiuio iubetur ad aquam e fonte profluenti, non ex camino, aut fornace ſuggerendam, qua recente, gelidaq. falernum feruens diluatur. Et ſitientibus propinetur. Ardens hic dictum eſt falernum, vt vina feruida Satyra octaua lib. 2.

Feruida quod ſubtile exſurdant vina palatum.

vides palatum, non oculos affici. non igitur ardens, aut feruidum vinum alio ſenſu accipiendum his in locis. Praeterea me accuſat quod frigidum actu (vtar eius verbis) cum frigido potentia confuderim. Nam vinum, inquit, aqua diluimus ad reprimendum eius ardo-

rem quatenus aqua est frigida potentia, non quatenus actu friget,& aquam frigidam hoc modo etiam eam quae summe calet dici affirmat. Primum sibi ipse aduersatur. Nam capite xxj. libri de potu calido aquam esse natura calidam multis argumentis contendit. Sed fortasse hominem memoria defecit, aut sententiam mutauit. Deinde ab Aristotele Themistioq. descisciť, qui libro de anima secundo tactu,& gustatu explorari ab animantibus calidum,& frigidum, siccũ, & humidum in alimentis diserte scribunt, vt infra pluribus ostendam. Errat igitur Cassianus, & iniuria me accusat. Vergilij quoq. versum ex Georgicis inepte a me allatum ad morem gelidi potus confirmandum clamat

Poculaq. inuentis Acheloia miscuit vuis.

quod ego de gelida, non de calida dictum existimo, quemadmodum & libro Aeneidos Nono legitur, vbi de Italorum disciplina, vita, & virtute gloriose multa praedicantur a Numano.

Durum a stirpe genus. natos ad flumina primum
Deferimus, saeuoq. gelu duramus, & vndis.

Audin infantes, qui ad virtutem insti●erentur, in Italica recens natos in profluentem media hieme immergi solitos, quo frigori a teneris assuescerent. Quamobrem si Acheloia pocula pro aqua calida potius, quam pro frigida ibi accipiãtur, aliter bibisse antiquissimos, aliter lauisse, aut Vergilium sibi non constare dixeris, quod dicendum non est. Nam morem maiorum poetam retulisse, frigidaq. delectatum ex eo intelligimus, quod fontes frigidos, valles, & rupes frigidas commendet, quo argumento vini auidum fuisse Homerum deprachendit Horatius.

Laudibus arguitur vini vinosus Homerus

Verg. eclog. x. *Hic gelidi fontes*
Georg. 2. *Speluncae, viuiq. lacus & frigida tempe*
& *O qui me gelidis in vallibus Hemi*
Sistat . . . .
Aeneid. lib. 8. *Hic lucũ ingentem, quem Romulus acer Asylum*
Rettulit, & gelida monstrat sub rupe lupercal.

quorsum Eclogae quintae versus pertineant, si de calida intelligas?

Quale sopor fessis in gramine, quale per aestum
Dulcis aquae saliente sitim restinguere riuo.

Postremo me plectendum esse clamat, quod promissis steisse non videar, lectoremq. ad Galeni libros, vbi de gelidae vtilitate agitur reiecerim. Proposueram quidem de gelidi potus vsu, & salubritate non nulla ex veterum libris afferre, sed ne legentium opera in re

satis

ſatis aperta abuti viderer, id, vnde peti poſset indicaui. Nunc quando hominis importunitati ſatisfaciendum eſt, fidem meam abſoluã, & de gelido, calidoq. potu ex Medicornm ſententia breuiter diſputabo. Cynthius Clemens Philoſophiae, Medicinaeq. cognitione, atq. vſu inſignis, a nobis hac de re Conſultus, reſpondit ſe multa in Caſſianum habere meditata, & adnotata, quae grauioribus occupationibus diſtentus edere nondum potuiſse. locos tamen aliquot Hippocratis & Galeni ſuppeditauit, quos adſcribendos curauimus. Aſcanius Mandoſius Vir grauiſſimus Excellentiſſimi D. Michaelis Peretti Principis Venafrae Medicus frigidum potum laudat, calidum abhorret, mihiq. Galeni libros vtendos dedit. Angelus Victorius Balneoregienſis Medicus eximius de potu frigido ſententiam rogatus ad Alexandri Petronij Medici celeberrimi libros de victu Populi Romani me reiecit infenſus nouatoribus. Excellentes item Medici Bernardinus Caſtellanus, Camillus Gorus, Demetrius Canauarius, Medorus Patriarcha, omnes denique, quibus cum hac de re locutus ſum potionem quotidiani victus frigidam probant, calidã damnant. Hippocrates lib. de morb. vulg. ſect. 3. *ſitim, inquit ſedant os claudere, tacere, ventum cum potu frigido inducere*, & libro de dieta ſalubri. Tex. 31. *quos ſitis infeſtat, cibos hi, & labores minuant, ac vinum dilutum bibant, quam frigidiſſimum.* Galenus in ſuis ad Hipp. commentarijs eadem confirmat, & alium eiuſdem locum ad id ipſum mirifice facientem affert. idem lib. de cur. Ren. cap. 7. *qua, inquit, aqua homo commode quouis & tempore, & modo vti poſſit, ea ſit puriſſima defecata, & leuis, & fontana cuius natura eſt frigida, quod ſi etiam cito a praecordijs deſcenderit, potiorem non deſiderabis. Haud vero ſicut vino, cibis, exercitijs, vigilijs, & ſomno ſecũdum aetatum, & temperaturarum diuerſitatem alijs, atq. alijs vti commodum eſt, ſic etiam aqua non eadem ſemper vti ex vſu eſt. Immo quam vtilem modo diximus eſſe, ea vti audacter poteris, & puer, & adoleſcens, & ſenex quacumq. naturae differentia ſis praeditus. quoniam vero aqua vna plus alia frigida reperitur, hac de cauſa non omnibus prodeſt aquae frigidae potus indifferenter vti. Verum ſupramodum calidis pinguibus, & carnoſis ſiue naturali habitu, ſiue acquiſito, & his, qui ſe vehementer exercent, quiq. conſueuerunt frigidam potare, innocua eſt, ſi frigidam bibant. quod ſi aliter aliqui ſe habeant, minus bibant ex ea, qui vero iuuenili ſunt aetate, & in rebus ciuilibus verſantur negotioſius, quam vt exerceri ordinate, & victitare queant, fontanam ſumant relicta uiuali aqua.* haec ille, ex cuius extremis verbis intelligi facile poteſt, aquam frigidam, quam ſupra dixerat inno-

tuam calidis, nonnulisq. alijs niualem esse, vel certe niue refrigeratam, quod & libro de cibis boni, & mali succi extremo scriptum reliquit.

Esto autem, inquit, alijs alius modus tam cibi, tum potionis refrigerantis, & in quorum est more positum, vt niue vtantur, illi eam ante niue refrigerant, qui vero aqua fontana vtuntur, illi aqua recens de fonte hausta contenti niuem non requirunt.

Vides a Galeno Niualis, & fontanae tantum aquae potum agnosci, calidae autem rationem non habitam, nõ igitur calida frequenter vsos fuisse veteres dixeris. Pergit Galenus. *Si autem & dilutū illud vinum eodem modo ante refrigeratum. ita enim appellare* προψυχρισμένον *Graeci medici solent, quod in frigidissima aqua vase vinario posito ante refrigeratur. atq. haec quidem ego consuluerim ijs, quorum implicita negotijs vita est, vt sunt qui & populos regunt, & vrbes gubernant, ac multo etiam magis eorum ministris, nec minus etiam, qui rem militarem tractant, quiq. longa itinera ingrediuntur, qui autẽ ab his negotijs liberi sunt rarissime frigidae potione indigebunt, si aestate vigente magnam vim caloris sentiant, sine incommodo de fonte bibant, a niueq. abstineant.* Multa praeterea eiusdem sententiae alijs in libris scripsit. Neq. Auicenna, Rasis, & ceteri Arabes praestantissimi aliter sentiunt. Vir quoq. studiosissimus, & rei Medicinae scientissimus Prosper Martianus indicauit mihi locum Hippocratis libro de natura pueri. Vbi apertissime docetur frigidum potum pernecessarium esse tuendae valetudini, ducta similitudine ab arboribus. *Repetam, inquit, rursus quod Aestate inferna terrae pars frigida est, Hieme vero calida, superna autem vice versa. & oportet arbori non duo calida simul accedere, neque duo frigida simul, si sana esse debet. Verum siquidem ex superna caliditas accesserit, ex inferna frigiditatem ipsi accedere oportet. & vice versa si ex superna parte accedat frigiditas ex inferna caliditatem ipsi accedere oportet. & radices vbi attraxerint, arbori transmittunt. & arbor vicissim radicibus, atq. sic & frigidi, & calidi conseruatio contingit. Quemadmodum homini congestis in ventrem cibis, qui dum coquuntur calefaciunt perfrigerationem a potu facere oportet, sic arbori contrarium rependi oportet.* Ab eodem Prospero accepi, quae tradit de Siti Hieronymus Capiuaccaeus libro tertio de ventriculi affectibus capite septimo; *in siti inquit locum habet humidum, id est liquidum, nempe cibi vehiculum, qua calor innatus extra, & ad circumferentiam mouetur, idq. eo magis, quo cibus est calidior, & ambiens aer calidior. vt ergo hic caloris ad extra motus compe-*

compescatur, opus est frigido, vnde post cibos calidiores, & tempore aestiuo, potus etiam frigidior desideratur. Sitis ergo est appetitus frigidi, & humidi, licet enim sitientes plerumq. magis appetant vinum, quam aquam, vtrumq. tamen cibi est vehiculum, & actu frigidum offertur. & paulo supra. Quare cum expediat per famem, & sitim non modo corpus nutrire, verum etiam calidum insitum custodire, per calidum seruatur motus caloris, ne plus iusto concentretur, per frigidum autem custoditur calor, ne plus quam decet extra feratur, vnde calidum ad famem attinet, frigidum ad sitim. Res postulabat, vt vniuersum caput describerem, sed neq. illa, neq. Medicorum omnium idem sentientium voces Cassianum ab errore reuocarint. Marsilius Cagnatus vir & libris editis clarissimus, singulariq. litterarum Latinarum pariter & Graecarum cognitione ornatissimus, & Medicus nobilissimus, optimusq. versibus ad me rescriptis hac de re sententiam suam testatus est, & in libris de ciborum, & potionum generibus multa, validaq. argumeota, rationesq. ad frigidum potum retinendum, & calidum explodendum praeclare explicauit, quae primo quoq. tempore typis mandabuntur. Satis superq. ex Medicinae *Principum* sententia frigidae potum non esse noxium docui. Huc accedit quod Horatius lib. 1. epist. 16. de frigidae aquae salubritate his verbis scripsit.

Fons etiam riuo dare nomen idoneus, vt nec
Frigidior Thracam, nec purior ambiat Hebrus.
Infirmo capiti fluit vtilis, vtilis aluo.

Cassianus aduersus hunc locum nihil quod diceret inuenit. Reliquum est, vt ex Iuuenale ostendam frigidam cariorem, & delicatis gratiorem, atq. hac etiam re potentiores a tenuioribus discretos fuisse. Satyra enim quinta sic.

Si stomachus domini feruet, vinoq. ciboq.
Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.
Non eadem vobis poni modo vina querebar,
Vos aliam potatis aquam.

Vides frigidissimam patrono exhiberi solitam, contra vero clientibus, quaecumq. esset. non igitur ad sedandam sitim calida vtebantur veteres potentiores, neq calida carior, & delicatior frigida, aut frequentiore in vsu fuit. Audiamus Lucretium de Siti libro quarto.

Humor item discedit in omnia, quae loca cumq.
Poscunt humorem, glomerataq. multa vaporis
Corpora, quae stomacho praebent incendia nostra

Dissipat

Dissipat adueniens liquor, ac restinguit, vt ignem.
Vrere ne posiit calor amplius aridus artus.
Sic igitur tibi banela sitis de corpore nostro
Abluitur.

Suetonius scribit *Augustum pro potione interdiu sumpsisse perfusum aqua frigida panem, aut cucumeris frustum, aut lactuculae* Tyrsum, *eundemq. aestate apertis cubiculi foribus, ac saepe in Peristylo saliente aqua, atq. etiam ventilante aliquo cubasse.* Quis igitur dixerit ab Augusto vinum calida mixtum vnquam epotum fuisse? aut Lucretij sententiam de siti per humorem restinguenda aliter accipiendam, atq. Philosophi, & Medici peritissimi praecipiunt, & Lucretius ipse eodem libro dixerat.

In medioq. sitit torrenti flumine potans

humidi quidem, sed & frigidi copia sitis reprimitur, Si tamen sitis est. quod Lucretius exposuit.

Ouidius libro Metam. sexto de Latona errante, ac filios infantes in sinu ferente.

Sidereo siccata sitim collegerat aestu,
V*beraq. ebiberant auidi lactantia nati*
Et infra
Accessit, positoq. genu Titania terram
Pressit, vt hauriret gelidos potura liquores.

Ouidius & causam sitis, & sedandae sitis rationem aperte contrarijs ostendit. De calido autem potu non proletarij tantum, vt a Cassiano contumeliose appellantur, sed maiorum gentium Medici Plinio assentiuntur. Nihilq. a quotidiano victu, & a natura esse alienius calido potu arbitrantur. Nemo non idem sentit. nemo non calidum potum aspernatur, praeter vnum Cassianum, qui aliter atq. fit in vniuersa Europa, Asia, Africa & toto fere terrarũ Orbe, potet. sibiq. & alijs praescribat, calido potu perpetuo; vtendum esse. Neq. Horatianum illud subuereatur.

Nauem agere ignarus nauis timet, abrotanum aegro
Non audet, nisi qui didicit dare. quod Medicorum est
Promittunt medici.

equidem quae a Medicis hac de re accepi, verecunde attuli, non enim tantum mihi arrogo, vt concertandi studio quidquam ex ingenio contumacius asseram, stomacho scilicet, capitiq. calidam inimicam esse, contra vero mirum in modum hominum generi frigidam prodesse Medici veteres attestantur. fuisse autem vtramq. apud Priscos in vsu inficias quidem non eo, sed valetudinarijs quibusdam

buſdam

bufdam calidam permifsam; eifdemq. frigidam fubtractam non abnuo. cum praeter ceteros Galenus huius rei teftis fit locupletiffimus, & Seneca idem adftipuletur Epiftola 78.

O infelicem inquit aegrum, quare? quia non vino niuem diluit. quia non rigorem potionis fuae quam capaci fcypho mifcuit. renouat fracta infuper glacie. & libro de beneficijs fecundo capite 54. *Vt frigidam aegris negamus.* Et apud Athenaeum Antiphanes. *Aquam in olla mihi qui coquat, neminem afpicere fuftinebo, non enim male valeo.* Calidam quoq. in conuiuijs vfurpatam praeter Martialem, & Iuuenalem teftis eft apud Athenaeum Alexis.

An fupra modum hominum ftirps curiofa eft,
Vt quae plurimum vtatur rebus diuerfiffimis.
Alienos diligimus, gentiles & cognatos negligimus
Bibendam niuem nos praeparamus,
Aqua vero nifi calida fit, feruos obiurgamus.

& Tarentinus apud eundem in conuiuio dubitat, & percontatur poft efum ficuum, an aqua gelida bibenda fit, an calida. & in vtramq. partem difputat. Calida igitur veteres funt vfi? quis negat? Verum ex ijs locis intelligitur calidam medicamenti loco, & quidem molefti, non voluptatis aut deliciarum fuifse, quod & Seneca teftatur apertius epift. 78 *Sed omnia ifta facile perferemus, forbitionem, aquam calidam, & quidquid intolerabile videtur delicatis, & luxu fluentibus, magisq. animo quam corpore morbidis.*

notandum quoq. calidam non perpetuo in conuiuijs fumptam, fed aut praefumptam, aut aliquem poft cibum hauftam, ne quid detrimenti valetudo acciperet. Pleiftonicus apud Athenaeum iubet eos. *Qui bonae valetudini ftudent, vt copiofum fudorem prouocent, mediocriter exerceri, & corpus vt humectetur, ac mollefcat in balneis lauari, ac poftea, quod eft in primis falutare, aquam praebibere vere, atq. hieme quam calidiffimam, aeftate frigidam ne exfoluatur ftomachus, & ea quidem copia mediocrem, eo confilio, vt ante vini potum in habitum corporis diftribuatur, ne eo vini perueniat integra, & indomita vis quae vaforum finibus impacta mordeat.* Idem fere Galenus libro de cibis boni, & mali fucci praefcribit, neque ab hac ratione Plinij verba abhorrere videntur, qui lib. 28. cap. 4. *Perfundere inquit aqua calida ante balnearum vaporationem, & poftea frigida faluberrimum intelligitur, item praefumere cibis, & interponere frigidam, eiufdemq. potu fomnos antecedere, & fi libeat, interrumpere. Notandum nullum alıud animal calidos potus fequi. ideoq. non effe naturales.* Caffianus autem fine vllo delectu, & difcri-

discrimine quaecumq. de calido potu congesta legisset, eo pertinere omnia opinatur, vt calida scilicet plerīq. tota vita, omni tempore summa cum voluptate, & vtilitate vterentur; quod omnino ab eorum sententia, quorum testimoniis vtitur, quam alienissimum est. Plinio item conuicium facit, & Philosophum vulgarem appellat, quod calidos potus damnarit. cui tamen Seneca Cassiano locupletior testis assentitur epist. enim 119 qui sint naturales potus non obscure ostendit. *Sitio, inquit, vtrum haec aqua sit ex lacu proximo excepta, an ea, quam multa niue clusero, vt rigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil attinet. illa hoc vnum iubet sitim extingui.* Luxum quidem, & studium suae memoriae in refrigerando potu Stoicus detestatur, sed aquae frigidae potum secundum naturam esse illis verbis testatur. *Vtrum haec aqua sit ex lacu proximo excepta*. Hinc recentem aquam, & fontanam naturalem esse, cuius potus nullo impendio paratur, intelligimus. Non igitur calidus potus naturalis est quippe qui studio, sumptuq. & ipse comparetur, ad ignemq. admoueatur. quare iniuste Plinius accusatur. Cassianus nō ita veterum scripta expendit, sed pro libidine testimonia grauissimorum auctorum vel interpretatur, vel Telesiano more non admittit, vel inepte laudat. id quod in Platonica sitis definitione ex Athenaeo petita praestitit. Verba Graeca Athenaei sunt haec.

Πλάτων δ' ἐν πρώτῳ Πολιτείας, Ἐπιθυμία ἐν τῇ ψυχῇ ἐστιν οἷον δίψα ἐστίν. δίψα ἄρα γε θερμοῦ ποτοῦ ἢ ψυχροῦ ἢ πολλοῦ ἢ ὀλίγου, ἢ καὶ ἐν ὀλίγῳ ποιοῦ τινος, πόματος, ἢ ἐὰν μέν τις θερμότης τῷ δίψει προσείη τὴν τοῦ ψυχροῦ ἐπιθυμίαν προσπαρέχοι ἄν; ἐὰν δὲ ψυχρότης, τὴν τοῦ θερμοῦ· ἐὰν δὲ διὰ πλήθους παρουσίαν πολλὴ ἡ δίψα ᾖ ὅτι τὴν τοῦ πολλοῦ παρέξεται, ἐὰν δὲ ὀλίγη, τὴν τοῦ ὀλίγου; αὐτὸ δὲ τὸ διψῆν, οὐ μή ποτε ἄλλου γένηται ἐπιθυμία, ὅπερ πέφυκεν, αὐτοῦ πόματος, καὶ αὖ τὸ πεινῆν βρώματος.

Athenaei locum libro tertio Dalecampius sic vertit.

Plato libro primo de repub. cupiditatem in animo veluti quandam sitim esse tradit. Ac sitim quidem potionis vel calidae, vel frigidae esse appetitum, & vel multi, vel pauci cuiusuis potus. itaq. adiuncta siti caliditas si fuerit, frigidi potus desiderium inuehit, sin frigiditas, calidi; si quis vero ob praesentis humoris copiam multam sitit, potionem largiorem is cupiet, sin paucus humor adest, exiguam poscet. Sitis autem prorsus est appetitus natura iustus potionis, vt fames cibi. Haec sitis definitio in libris Platonis

est quae in Philebo recensetur, ... Platonis haec sunt. Δίψα δ᾽ αὖ φθορά, καὶ λύπη, καὶ λύσις. ἡ δὲ τοῦ ὑγροῦ πάλιν δὲ ξηρανθὲν πληροῦσα δύναμις, ἡδονή. idest, *Sitis vero est corruptio, & dolor, & solutio, humidi autem facultas, quae id quod exsiccatum est, rursus explet, voluptas*. Platonis definitionem amplexus, & interpretatus esse Aristoteles libro de anima secundo capite tertio, videtur, qui sitim frigidi, & humidi cupiditatem esse his verbis censuit. πεῖνα δὲ καὶ δίψα ἐπιθυμία. καὶ ἡ μὲν πεῖνα θερμοῦ καὶ ξηροῦ ἡ δὲ δίψα ὑγροῦ, καὶ ψυχροῦ. idest, *fames autem, & sitis cupiditas est. fames quidem calidi, & sicci sitis vero humidi, & frigidi*.

Verum neq. tantae maiestatis Philosophis, neque sacris oraculis manus dabunt altercandi & nouandi cupidissimi homines. Appingamus tamen quod in sacris libris legitur Prouerbiorum cap. 25. *Aqua frigida animae sitienti, & sicut frigus niuis in die messis, ita legatus fidelis, qui misit eum, animum ipsius requiescere facit*. Seruo Abrahae petenti, & camelis Rebecca e puteo haustam hydria aquam frigidam benigne dedit.

Moses iussu Dei virga Petram percussit, & exiuit aqua vt populus sitibundus biberet. Quaerere ex Cassiano num calida effluxerit, an sitis impatiens populus expectarit, dum calefieret aqua? Iterum Moses in deserto Sin populo siti confecto, & vociferante bis virga iussu Dei silicem percussit, & egressae sunt aquae largissimae, ita vt populus biberet, & iumenta. dicat Cassianus num aqua Contradictionis calfacta populo, & iumentis recte fuerit praebita. Gedeon Imperio Dei trecentos viros armatos selegit, quibus in bello aduersus Madiam vteretur, quod ij tantum aquas more canum manu ad os proiecta lamberent. reliqua vero multitudo ad decem millia, quae flexo poplite aquam profluentem biberet, domum dimissa. Cacabos adductos, ignemq. excitatum, aut tale quid comminiscetur Cassianus. Dominus noster in nuptijs admonitus, quod vinum hydrijs exsiccatis defecisset, aqua hydrias repleri iussit, eamq. in vinum vertit. dicat quaeso Cassianus, num Architriclinus subiecto igni Hydrias calefecerit, an aquam feruescentem ex culina importandam curarit. Dominus item noster ex itinere lassus, & ad puteum sedens a Sammaritana aquam ad potandum petijt, fontemq. inuicem illi salientem, & quidem perennem est pollicitus. de calida fortasse accipiendum Cassianus dixerit Postremo serio respondeat Cassianus, an caenante cum Apostolis Domino mos iste calidi potus seruatus fuerit. Hinc facile intelligi potest morem frigidi potus a mundi primordio ad nostra tempora per manus traditum defluxisse, a nemine contu-

macius,quam ab vno Cassiano rerum nouarum auidissimo violatum. Homerus,quem morum & rerum scientissimum appellant, in conuiuijs,quae multa recenset,calidae semper lauandi causa,bibendi nunquam meminit. aut enim vinum merum, aut aqua mixtum, quam calidam nunquam fuisse significat, vsurpatum scribit. Polyphemo Vlysses ter ex vtre vinum generosum sine aqua praebuit, quo illum ebrium redditum consopiret. Tantae autem vehementiae, tantiq. ardoris fuisse vinum illud Homerus narrat, vt vno poculo impleto viginti aquae mensuras misceret Euantes, qui Vlyssi dono id dederat. Populus Romanus vel in expeditionibus, vel in agris colendis occupatus vtrum frigida,an calida sitim leuasse sit existimandus,consule Historicos,consule Poetas. Liuius libro primo scribit, *lucum,quem fons ex opaco specu perenni aqua rigabat.Camoenis sacrasse, quod earum sibi concilia cum coniuge sua Egeria essent.* Putandum ne Regem,Egeriam,Camoenas, & quicumq eo peruenissent,aquam e fonte frigidam,an calefactam maluisse? & lib. 29. scribit *aquam quinq. & quadraginta dierum in nauibus fuisse,cum Scipio in Africam traiecit*, quaero an calefactam ad ignem potarit miles.Salustius *Metellum in Numidia ex flumine aqua in vtres diffusa iumenta onerasse, tantamq. repente caelo missam vim aquae, vt ea modo exercitui satis, superq. fuerit,cum ad obsidionem Thalae proficisceretur*, Mariumq. eadem ratione Capsam cepisse tradit. calidam vino miscuisse in expeditionibus militem Romanum, aut Numidas, *quibus cibum aduersus famem, atq. sitim non libidini. neque luxuriae fuisse Sallustius* testatur, credemus? Lucanus lib. quarto de Afranii militibus.

Incustoditos decurrit miles ad amnes,
Incumbit ripis, permissaq. flumina turbat.
& infra.
Discite quam paruo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat, non erigit aegros,
Nobilis ignoto diffusus Consule Bacchus,
Non auro, Mirrhaq. bibunt, sed gurgite puro
Vita redit. satis est populis fluuiusq. Ceresq.

aduersus Lucanum Philosophantem Cassianus Milliaria, Dracones, cacabos delicias suas attulerit. quando delicatorum fuisse calidam somniat,reclamante,vt dixi,Seneca. Lipsius calidam vino infusam veteres potasse,vt doceret,Plauti versus ex Milite recitauit,eosq sine hoc more intelligi non posse scriptum reliquit. idem censuit Cassianus. Ego vero vtrumq. errare arbitror. nullum enim verbum de

aqua

aqua fit tota illa in scaena. Sed vtriq. imposuit, quod calidi, calorisq. ibi fiat mentio, neuterq. ad vini vim, ardoremq. id referri animaduertit, vt apud Horatium feruida vina, ardens falernum, feruidiore mero. Vinosos seruos, anusque Plautus morum imitator repraesentauit. In Milite peti aquam Pyrgopolinices iubet, qua perfunderetur mulier, quam animus reliquerat. Seruus autem iocans nolle se aquam dixit. non enim ad feminae aspersionem respexit, sed sibi vini meracissimi auido consultum voluit. Plauti versus hi sunt

Pyrg. *Accurrite intro, afferte aquàm.*

Palestrio ser. Nihil aquam moror. Pyr. Cur. *Pa. malo merum,*

Curculione, vbi agitur de anu vinosissima

Nomen est lenae multibibae, & merobibae

Quasi tu lagenam dicas, vbi vinum solet

Chium esse.

ei anui cum sinum vini dedisset Phoedromus, potanti Palinurus seruus succensens maledicit.

Hoc vide, vt ingurgitat impura in se merum auariter

Plenis faucibus

Phoedromus autem opem illius implorans festiue pollicetur.

Nae ego, si fidem seruas mecum, vineam

Pro aurea statua statuam, quae tuo gutturi

Sit monumentum.

Vini meri cupiditate seruos, anusq. teneri Plautus cum dicat, quis aquae calidae locum esse somniet? Cistellaria de lena item vinosa.

Quin ego nunc, quia sum onusta mea ex sententia

Quia que adeo me compleui flore liberi,

Magis libera vti lingua consilium est mihi.

perpusillum tamen frigidae inditum vino in Sticho legimus scaena, cuius initium est, *Agite, ite, ferte pompam. Cado te praeficio Stiche,* vbi decimam aquae partem vino misceri Stichus iubet

Sed interim Stratege noster, cui hic cessat cantharus,

Vide quot Cyathos hos bibimus, tot quot digiti sunt tibi in manu

Tibi propino decuma fonte. tibi tute inde, si sapis.

& extrema scena

. . . . . . *inde huc aquam*

frigidam quoq. manibus dari solitam antequam accumberent, Plautus testatur. Persa

Hoc age, accumbe. hunc diem suauem meum natalem agitemus amoenum.

Date aquam manibus.

 & alibi.

& alibi.

Cedo aquam manibus puer. appone hic mensulam

quod & Vergilius lib. I. Aeneid. I. dixit

. . . . . dant manibus lymphas

eade n frigida lauisse feminam Plautus Mostellaria scripsit

Iampridem Ecastor frigida non laui magis libenter.

frigida quoq. aspergebatur, vt animus rediret. Plautus Bacchidib. *Aspersisti aquam*

Trinummo. *ademit animam aegritudo Stasime, tene me.*

St. vis ne aquam

Tibi petam. Ch. res cum animam agebat, offusam oportuit

de calida rursus, ad lauandum tantum Plautus Epidico

abi intro ac iube huic aquam calefieri

Bacch. aqua calet. eamus huc intro, vt laues.

de eadem calidae vsu accipiendi versus Tibulli elegiae vltimae libri primi ad sordes eluendas.

Ipse suas sectatur oues, at filius agnos.
Et calidam fesso comparat vxor aquam.

Item Horatii Epod. 2.

Sacrum vetustis extruat lignis focum
Lassi sub aduentum viri.

Et Ode 19. lib. 3. *quis aquam temperet ignibus*

Et epist. vlt. lib. 2. *. . . . . . . emptis*

Sub noctem gelidam lignis calfactat abenum.

neq. audiendi sunt, si qui aliter interpretentur. quid enim absurdius fingi potest, quam homini per totum diem in opere rustico versanti, & sitim ex labore collectam frigida leuanti, aquam calidam in potum ad caenam comparari? neminem etiam mos a Graecis Romanisq. vsurpatus latet. vt calidis lauacris ante conuiuium vterentur. Ouid. lib. Metam. octauo eum morem expressit in descriptione conuiualis apparatus, quos hospitibus Philemon, & Baucis praebuerunt.

Inde foco tepidum cinerem dimouit, & ignes
Suscitat hesternos, foliisq. & cortice sicco
Nutrit, & ad flammas anima perducit anili.
Multifidasq. faces, ramaliaq. arida tecto
Rettulit, & minuit, paruoq. admouit aheno.

& infra

. . . . erat alueus illic
Fagineus dura clauo suspensus ab ansa

Is

Is tepidis impletur aquis. artusq. fouendos
Accipit.

Praeterea neq. ad valetudinem, neq. ad voluptatem aqua in aheno calefacta, cuiquam conducere videtur? Nam grauis ille, insalubrisq sapor ex quouis metallo aquae feruefactae accederet. Vitruuius fistulas quoq. plumbeas ad aquam perducendam improbat his verbis libro octauo. *Itaq. minime fistulis plumbeis aqua duci debere videtur, si volumus eam habere salubrem. saporemq. meliorem ex tubulis esse quotidianus potest iudicare victus. quod cum omnes extructas vasorum argenteorum mensas habeant, tamen propter saporis integritatem fictilibus vtuntur.*

Quare quid sibi velit de Miliarij cõstructione, deque Draconibus Cassianus, non video. Senecae enim, verba de draconibus, miliarijsq. non ad potionem, sed ad instrumenta balnearia referenda sunt. nullo enim ille vtebatur potu, nisi naturali, quod ex Epistolis eius intelligitur, & aperte testatur his verbis de Seneca Tacitus. lib. xv. *Dum, inquit, simplici victu, & agrestibus pomis, ac si sitis admoneret, profluente aqua vitam tolerat.* Non igitur draconibus, & miliarijs ad aquam calefaciendam in potum Seneca vtebatur. qui neq. impendia in frigidae potionis vsum probat, cum libro quaestionum naturalium quarto extremo hac de re sic scriberet. *cum, inquit, quaerimus quomodo fiat, & dicimus illam pruinae similẽ habere naturam, plus illi spiritus, quam aquae inesse, non putas exprobari illis, cum emere aquam turpe sit, si nec aquam quidem emunt? Nos vero quaramus potius quomodo fiant niues, quam quomodo seruentur. quoniam non contenti vina diffundere veterana, & per sapores, aetatesq. disponere, inuenimus quomodo stiparemus niuem, vt ea aestatem euinceret, & contra anni feruorem defenderetur loci frigore, quia hac diligentia consecuti sumus Nempe vt gratuitam mercemur aquam. Nobis dolet. quod spiritum, quod solem emere non possumus, quod hic aer delicatis, diuitibusq. ex facili nec emptus venit. O quam nobis male est, quod quidquam a rerum natura in medio relictum est, hoc quod illa fluere & patere omnibus voluit, cuius haustum vitae publicum fecit, hoc quod tam homini, quam feris, auibusq. & inertissimis animalibus in vsum large, ac beate profudit, contra se ingeniosa luxuria redegit ad pretiũ. Adeo nihil potest illi placere, nisi carum. vnum hoc erat, quod diuites in aequum turbae deduceret, quo vno non possent antecedere pauperrimum illi, cui diuitiae molestae sunt, excogitatum est, quemadmodum etiam aqua caperet luxuriam.*

Vides

Vides damnari sumptum a Seneca in emenda aqua frigefacta. idem damnasset gulonum luxuriam Lipsianam, Cassianamq. in aqua calefacta cum solitaria, tum vino permixta, si eo tempore in vsu, & delicijs fuisset. Audi Senecam.

Cum, inquit, emere aquam turpe sit

atqui aqua calefacta pretio emebatur, vt Lipsius, Cassianusq. affirmant; pergit Seneca.

hoc inquit, quod tam homini, quam feris, auibusq. & inertissimis animalibus in vsum large, ac beate profudit, contra se ingeniosa luxuria redegit ad pretium.

inuectus esset Seneca in luxuriam etiam calidi potus, si tale quid iam tum excogitatum fuisset.

Nec, inquit, *Lipsius, in vsu solum antiquitus calida, sed quod miremur in delicijs fuit.*

cur igitur Seneca delicias istas calidae non redarguit, cum indignabundus de frigida sic scripserit.

Excogitatum est, inquit, *quemadmodum etiam aqua caperet luxuriam.*

Ex calidae vero potu non voluptatem sed molestiam percipi, neque calidam, sed frigidam delicatorũ esse scripsit Seneca epist. 78.

Sed, inquit, *omnia ista facile perferemus, sorbitionem, aquam calidam, & quidquid intolerabile videtur delicatis, & luxu fluentibus.*

Dixi autem Miliarium apud Senecam vas balnearium fuisse, quod & Athenaeus significat. ἰπνολέβητα, enim, quasi fornaceum lebetem dixeris, appellatum a Graecis scribit. Miliarium igitur non bibendi, sed lauandi gratia comparatum erat. id ex Palladio apertius doceo, qui libro primo titulo quadragesimo de balneis Miliarij collocationem, & vsum his verbis describit. *Miliarium vero plumbeum, cui aerea patina subest, inter soliorum spatia forinsecus statuemus. fornace subiecta, ad quod miliarium fistula frigidaria dirigatur, & ab hoc ad solium similis magnitudinis fistula procedat, quae tantum calidae ducat interius, quantum fistula illi frigidi liquoris intulerit.* Nihil igitur erat, quamobrem a balneis ad mensas aquam calidam ex miliarijs isti transferrent. Iniuria etiam rerum naturae facta est, quae cum communem homini, cum feris, & auibus potum sine pretio benigne praebuisset, isti nimium ingenio suo tribuentes insuauem, & insalubrem potionem labore, & mercede comparatam credulis quibusdam obtrudere conantur, quod si peccandum in alterutro sit, niuem, & glaciem mihi per aestiuos calores

lores

lores ſuppeditari malim. vt ex refrigerato potu voluptatem ſalubrius percipiam. Sed & apud Athenaeum, quem de calido potu, ſcribens Caſſianus laudat, haec de frigida leguntur. *Semius Delius libro ſecundo Niſiados ſcribit in Cimolo inſula per Aeſtatem frigidarias ſpecus effodi, in quibus aquae tepentes aeſtu plena dolia reponantur, illam poſt inde haurientes niue ipſa non minus frigidam* & paulo infra. *Pontianus ait veteribus amiciſſimi viri non ignotus fuit aquae valde frigidae potus.* & poetarum veterum verſus ad id facientes,& de niue loquentes recitat,& infra.*Eleganti quoq. Xenophonti nota fuit in ſuis commentarijs niuis potio. Chares Mitylenaeus in ſuis de Alexandro Hiſtorijs qua induſtria nix conſeruari debeat, expoſuit, quo loco Petrae Vrbis Indorum obſidionem enarrat. Scribit enim Alexandri iuſſu foſſas triginta parum inter ſe diſtantes excauatas fuiſſe, eaſq. niue impletas ſuperiniectis quercus ramis, & niuem longo ſic tempore perduraſſe. Vinum autem vt gelidum biberent veteres olim refrigeraſſe Stratis docet in Pſychaſtis. Vinum bibere calidum numquam volet, ſed multo magis contra in puteo refrigeratum, aut dilutum niue. multos praeterea veterum Poetarum verſus de eadem re appingit.*

Falſum item eſt quod auctor de calido potu ſcribit, propterea calidam potionem frigidae praeferendam eſſe,quod calor nobis innatus calido potu reparandus omnino ſit. Nutriri enim ſimili contendit, contrarium autem contrario neqnaquam. Nec legit, opinor, quid Plato in Lyſide ſcriptum reliquerit de hoc phyſico axiomate.

τροφὴν γαρ εἶναι το ἐναντίον τῷ ἐναντιῳ, τὸ γαρ ὅμοιον, τῦ ὁμοίου, ὀυδὲν ἂν ἀπολαῦσαι. ideſt, *contrarium contrario alimentum eſſe. ſimile autem ſimili haud quaquam frui.* quod & exemplis illuſtrat. τὸ μὲν γὰρ ξηρὸν ὑγροῦ τὸ δε ψυχρὸν θερμοῦ ἐπιθυμεῖν. *Siccum quidem appetere humidum, frigidum* vero calidum.

Sed nec tenere videtur Caſſianus quid de duarum ſectarum controuerſia ſuper eodem axiomate Ariſtoteles ſenſerit libro de anima ſecundo capite quarto. δοκεῖ δὲ εἶναι ἡ τροφὴ. τὸ ἐναντίον τῷ ἐναντιῳ. i. *videtur itaque contrarium eſſe contrario alimentum.* Reliqua inde ſtudioſus, lector petet, ſi libuerit. cognoſcet enim, quid de duabus ſectis ſuper contrarijs, & ſimilibus Ariſtoteles ſtatuerit, quem Themiſtius Paraphraſtes explicat. quae item contraria ſint, & qua ratione explorentur. capite tertio eodem libro tradit. ἡ γάρ ἀφὴ τῆς αἴσθησις ξηροῖς γὰρ καὶ ὑγροῖς, καὶ θερμοῖς, καὶ ψυχροῖς τρέφεται τὰ ζῶα πάντα. i. *tactus enim, ſenſus eſt alimenti. Nam ſiccis, & humidis & calidis, atque frigidis*

gidis aluntur animantia omnia:

ad quem locum Themiſtius Paraphraſtes Hermolao Barbaro interprete ſic.

Nam ſiccis, calidis, humidis, frigidis omnia viua ſine dubio veſcimur, aleſcimuſq. Atq. ſenſus, quo haec noſcuntur, eſt tactus. Has qualitates cum tangunt animalia imperfecta, ſentiunt non eo modo quod cõtingibiles, ſed eo quoq. quod guſtabiles ſunt. Ita fit, vt conuenientes ſibi concilient, appetantque, aliena reÿciant, ac fugiant, harum deſiderio teneantur, has ſciſcant. illas, quantum poſſunt, repellant, illas abominentur, & vitent. Atq. hoc in Oſtreis liquido cernere eſt. Illudq. quod diximus, non eſt admodum obſcurum videre, quemadmodum ex calore, humoreq. hiſq. aduerſis duabus qualitatibus, praecipuum alimentum conſtet. Hæc enim fines ipſi famis & ſitis latiſſime, apertiſſimeq. demonſtrant. Nam fames, ſicci, & calidi appetitio eſt, ſitis frigidi, & humidi. Siqua vero alia ſint; quae in cibo appetat impotens gula, ex accidenti, & ſuperfluo appetuntur. haec Themiſtius.

Praeclare quoque de contrariorum vi Marſilius Cagnatus libro primo de Sanitate tuenda capite tertio, & trigeſimo diſputat, eandemq. ſententiam carminibus ad me reſcriptis elegantiſsime complexus eſt.

Quo ſtudio Natura paret, quae vitae animantum
Conducunt, ÿs vnde ſalus, mirabile dictu eſt.
Mutua quae ſe ſe oppugnant, odia & fera ſemper
Exercent, ea ſunt tanta quae temperat arte,
Accipiant inde vt vitam, certamq. ſalutem.
Quod facere ipſa etiam Naturae ars aemula tentat.
Ferrum, non ne vides, vt durum molliat ignis,
Atq. rigens mox duret aqua? haud ſecus algida nobis
Pocula poſt epulas ventres, & pectora firmant.

Hieronymus Mercurialis, qui celeberrimis in Italiae Vrbibus Medicinam annos quadraginta, & amplius ſumma cum gloria & fecit, & profeſſus, eſt, multiſque doctiſſime ſcriptis, editiſque voluminibus proxime deceſſit, maximo apud omnes bonos ſui deſiderio relicto, iſtam de calido potu temere a quibuſdam excitatam opinionem, qua inter familiares ſermonibus, qua publicis de ſuggeſtu diſputationibus, qua ſtilo & ſcriptionibus exagitauit, & perſecutus eſt, idem aiebat ne belluas quidem ferventi aquae os admouere cõſueſſe. quod pleriſque omnibus quotidiano experimento manifeſtum eſt. Contra vero frigidae potioni adeo fauit, vt rationem

vtendi

vtendi glacie duriſſima, pure, defecateq. concreta, ſine vllo valetudinis detrimento excogitarit. Eam Magnus Etruriae Dux Ferdinandus cum Aulicis ſuis ſuauiſſime, ſaluberrimeque vſurpat. Potaturo glacies in Cyathum inditur. ſic fit, vt nihil praeter frigus ex glacie vino accedat. Quare cum frigide bibendi mos Philoſophorum, Medicorumq. ſententijs commendatus apud omnes gentes omnibus ſaeculis fuerit frequentiſſimus, nouatores iſtos contemnamus.

Errat etiam Caſſianus cap. xvij. lib. de potu calido, vbi Romanos per aeſtiuos tantum calores frigido potu, alijs rurſus temporibus calido vſos fuiſſe innuit. Caſſianũ confutat Seneca lib. quaeſt. Nat. quarto his Verbis. *Vbi quotidianis cruditatibus non temporis aeſtus, ſed ſuos ſenſit. Vbi ebrietas continua viſceribus inſedit, & praecordia bile, in, quam vertitur, torret, aliquid neceſſario quaeritur, quo aeſtus ille frangatur, qui ipſis aquis incaleſcit. remedijs incitat vitium. Itaq. non Aeſtate tantum, ſed etiam media Hieme niuem hac cauſa bibunt.*

Viden' Caſſiane, in quem ſcopulum impegeris, morem maiorum ignoras, & tamen audes iſta nobis obtrudere. Si beati, diuites, & luxu fluentes niuem vino iniectam quouis anni tempore potabãt. quid a tenuioribns factitatum exiſtimas? M. Agrippae ſcilicet Generis Augusti, qui aquas in Vrbem perduxit, beneficio vtebantur. non igitur aqua calida Potentioribus voluptati vnquam fuit. Sed per otiũ friuola, & nugatoria de potu calido argumẽta tua diluemus. quod praeſtari a me nõ poſſe glorioſe ſcribis. Sed iã ſit finis.

Habes ſententiam meam de potu frigido, calidoque, & quid me in hanc harenam deſcendere inuitum coegerit. Equidem conſtitueram ſilere, & ſilẽtio declarare, quam iſtius maledicta contemnerem. Verum ne cauſae dictionem ſubterfugere viderer. quod ea eſſet mea cauſa, quae nullis patronis defendi poſſet, faciendum mihi neceſſario fuit, vt maleuoli calumnias, diluerem. Terentianum enim illud. me admonebat.

Hic maledictis reſpondere volui, non laceſſere.
Benedictis ſi certaſſet, audiſſet bene.

Quos autem verſus ſcripiſſe me ad Virum vndecumq. doctiſſimum Marſilium Cagnatum, quoſque illum ad me humaniſſime remiſiſſe dixeram, eos apponendos curaui, quo tanti Philoſophi, Mediciq. ſententia diſputationem clauderet, controuerſiamque apud ſanioris conſilij homines prorſus tolleret.

MARSILIO CAGNATO
PHILOSOPHO, ET MEDICO
PRAESTANTISSIMO.



Iosephus Castalio I. C.



ESPERIAE lumen nostrae CAGNATE, *notaui*
Ingentes Criticos, quos saecula nostra tulere.
In veterum siquid peccarunt scripta virorum
Humano lapsi ritu. Non gloria falsis
Illecebris mendax tantum me misit in agmen,
Non odium alterius famae, aut petulantia linguae,
Mirificus sed amor veri, studiumq. docendi
Quidquid perdidici vigilatis noctibus ipse.
In nostros furor armauit, liuorq. labores
Pectora cruda senis rigidi, feruentibus vndis
Addita qui sitiens Dionysia pocula sorbet
Frigidus, inq. sua ignaros noua somnia cogit.
Dormis Bacche? nefas nec taetrum vlciscere laesus.
Ignibus ereptum seruarit Iuppiter olim
Frustra igitur, si te hic Vulcano impune lacessat.
Non ea sortitus cunabula diceris infans,
Sed puerum Nymphae gelidis aluere sub antris.
Te quoq., cui rerum causae, cui prodita terris
Cuncta patent, Opiferq. audis CAGNATE, *precamur,*
Infando ne ausu Brbomium probibere recuses,
Neue sinas nostros insano dente libellos
Diferri. Si nostra tuis sententia scitis
Conuenit, & si quid studio meruisse videmur.

IOSEPHQ



IOSEPHO. CASTALIONI. I. C. ET. BONARVM. LITTERARVM CVLTORI. EGREGIO



MARSILIVS. CAGNATVS.



VNERA qui Bacchi miscere calentibus vndis
Edocet, & gelidis ardentia pocula praefert.
O si vnquam ille graui feruentia viscera febre
Sentiat, atq. acres imo de pectore fumos
Euomat. haud illi gratissima munera, fontes
Virginei algentes latices, nec Marcia donet.
Sed tantum laudata sibi tunc pocula potet.
Est, opibus qui pauperiem, qui corpora sanis
Infirma, & docto ignaros, oculisq. potenti
Luminibus cassos praefert, & talia multa
Non timet absurda, & sanae contraria menti
Scribere, & incautis arguta sophismata ferre,
Quid mirer bone Castalio (secunda liquore,
Magnaq. Castalio cui infundit pocula Phoebus)
Esse etiam stygios potus, epulàsq. nefandas,
Quos laudare iuuet, mentes, & fallere inertes?
Quo studio Natura paret, quae vitae animantum
Conducunt, ijs vnde salus, mirabile dictu est.
Mutua quae se se oppugnant, odia & fera semper
Exercent, ea sunt tanta quae temperat arte,
Accipiant inde vt vitam, certamq. salutem.
Quod facere ipsa etiam Naturae ars aemula tentat.
Ferrum, nonne vides, vt durum molliat ignis,
Atq. rigens mox duret aqua? haud secus algida nobis

Pocula post epulas ventres, & pectora firmant.
Non mihi Athos, Hemusue vnquam, non frigida Tempe,
Caucasus aut ingens, Apenninusue petendus,
Vnde niuem potem, vel aquam potare rigentem
De niue perdiscam, sed erit mihi frigida cella,
Fons Triuiaeq. satis, sed nec spumantia ahena
Posco, nec inuitus cupientibus illa relinquo.
Tu quoq. calfactis dapibus permisce rigentes
Castalio calices, vt sit tibi firma senectus.
Qua solitos possis studiorum ferre labores,
Priscorumq. stilo scripta illustrare recenti.
Quod cum laude tuum nomen per saecula ducat.





MARSILIO CAGNATO PHILOSOPHO ET MEDICO EXIMIO.

Iosephus Castalio I. C.

CAGNATE Aonidum decus sororum,
Doctis muneribus tuis beasti
Multis nominibus tibi obligati
Mentem Castalionis excitatam
Libris, carminibusq. Apollinari
Plectro, numine, laureaq. dignis.
Aegrotos prohibes aquis Auerni,
Longe funera summoues, luemque.
Vitae stamina protrahis cupitae.
Iam non Vrbs Epidaurium requirat.
Scribis, postera quae reuoluat aetas.
Iam Germania, Celticusq. libros
Admiratur, & obstupescit Orbis,
Quos terris studium tuum parauit.
Sic fers auxilium procul repostis,

Et

Et mortalibus aduehis salutem,
Qui sunt, quiq. alijs erunt in annis,
Dum morbi populos prement per Orbem.
Quo te frigidae Cassiane vertes?
Scyphos excutient tibi Calentes
Nostri carmina Apollinis, nefasque
CAGNATO fuerit monente rictus
Te diducere, & obloqui vicissim.
Bacchum ne perimas calente aheno.
Chartas iustius ignibus cremato,
Quas mendis miser illinis trecentis.

FINIS.

